



**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

568. An omnis jurisdictio (dum simpliciter sine ulla positva reservatione deputatus est Vicarius) ita transeat ad illum, ut transeant quoque ad eum, quæ speciale aliàs mandatum Episcopi requirunt ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Nam eadem est ratio de parte ac de toto ; ita ut sensus sit : in iis, quæ Capitulum sibi reservare potuisset (nam dum neglexit deputare Vicarium, sicut nulla ei actu commisit, sic quoque nulli sibi actu reservavit) vel certe ut sensus sit : in iis, quæ fortè Capitulum sibi actu reservavit, relinquendo de cetero deputationem Vicarii Metropolitanæ.

*Quæstio 568. Num ergo etiam ita omnis jurisdictionis transeat ad Vicarium (intelligendum illimitatè ac simpliciter deputatur absque ulla positiva reservatione) ut transirent quoque ad eum, quæ speciale aliis mandatum Episcopi requirunt respectu Vicarii Generalis illius?*

1. **R**esp. Non convenire in hoc AA. affirmativam tenet Garcias *loc. cit. n. 28*, ubi: Videtur in Vicarium electum à Capitulo sede vacante eo ipso transire totam jurisdictionem Capitulo competentem, nec esse necessarium speciale mandatum seu commissionem quoad ea, quæ in Vicarium Episcopi non transeunt sine speciali mandato. Nam cum Concilium arctet Capitulum ad constituendum Vicarium, qui totam jurisdictionem administret, non videtur necessaria aliqua commissio, &c. Citat pro hoc Garcias, uti & Barbosa, *Gutier. qq. canon. l. 1. c. 11. nu. 10.* Marc. Anton. *Genues. in pr. Curia Neapol. c. 86. n. 5.* citatur quoque à Barbof, *Molin. de iust. tract. 5. d. 11. nu. 4.* quorum opinionem probabilem dicit Ventrigl.

2. Negativam è contrà, nempe ea, quæ speciale commissionem requirunt, specialiter ei committi debere, sine qua speciali commissione ea in illum non transeunt, tenent Barbof *jur. eccl. l. 1. c. 32. n. 103.* Castropal. *tract. 1. 3. d. 2. p. 29. n. 5.* Pirh. *ad tit. de off. Vicar. nu. 78.* Ventrigl. *loc. cit. nu. 21.* citans Meroll. *ubi supra nu. 256. & seq.* Diana *p. 8. tract. 4. resol. 64.* citans insuper Novar. *in summ. Bullar. to. 2. tit. de Capit. sede vac. n. 10.* qui omnes testantur, displicuisse Rotæ sententiam affirmativam in una *Maurinens. pensionis de 25. Junii 1626.* Sic itaque Vicarium Capitularem (intellige illimitatè constitutum) non posse sine speciali mandato Capituli dispensare in interstitiis, tradit Ventrigl. *cit. n. 21.* in fine citans pro hoc Mandos. Pavin. Sbroz. Item Fagn. *in c. his quæ de major. & obed. n. 61.* Pro hac sententia potissimum urget illud Ventrigl. quod ex eo, quod obligetur Capitulum constituere Vicarium, non sequatur Vicarium illum necessariò habere totalem Capituli jurisdictionem; quodque quoad hoc punctum non appareat ratio differentie inter Vicarium Capituli, & Vicarium Episcopi. Verùm ratio hæc differentie probabiliter videtur insinuata *quæ preced.* uti & contra alterum ibidem aliquid dictum. Porò penes Capitulum remanere adhuc jura & necessitatem tuendi ecclesiasticam libertatem & disciplinam sit Pax. *Jord. l. 12. tit. 2. n. 35.* prout id ipsum probat Quarant. apud eundem ex Brevi Clem. VIII. dato ecclesie Neapolitanæ sede vacante, quod recitat *ibidem* Pax. *Jord.*

*Quæstio 569. An igitur Vicarius Capitularis majorem potestatem habeat, quàm Vicarius Generalis Episcopi: & sicut hic, ita & ille habeat jurisdictionem ordinariam, faciâtque idem tribunal cum Capitulo, sicut Vicarius Episcopi cum Episcopo?*

1. **R**esp. ad primum convenienter magis ad sententiam secundo loco propositam *quæ*

*preced.* ex sola designatione non transeat in Vicarium, seu officialem Capituli sede vacante majorem potestatem, quàm in Vicarium Episcopi. *Pirh. loc. cit. Sbroz. de off. Vicar. l. 2. q. 41. n. 5.* citans Mandos. *ad regul. Cancell. 24. q. 6. n. 10.* Pavin. *q. 10. p. 23. n. 17.* Castropal. *loc. cit. Garc. cit. q. 7. nu. 29.* ubi: quamvis antea in Vicarium Capituli sede vacante non transiret major potestas, quàm in Vicarium Episcopi, &c. nisi per tò antea intelligat ante dispositionem illam Tridentini de exercenda jurisdictione à Capitulo per suum Vicarium, dum fortè is citra obligationem ab eo deputatus fuisset, non transivisse in illum majorem potestatem; quàm transeat modò in Vicarium Episcopi, dum is ab eo citra obligationem assumitur. Subjungit enim Garcias illa verba immediate, postquam præmississet: cum Concilium arctet Capitulum ad constituendum Vicarium, qui totam jurisdictionem administret, non videtur necessaria aliqua specialis commissio. Et certè sic congruentius ad hanc sententiam diceretur, habere in tantum majorem potestatem Vicarium Capitularem præ Vicario Episcopi, in quantum hic eget in pluribus speciali commissione Episcopi. Vide dicta supra, ubi: num Capitulum habeat majorem potestatem, quàm Vicarius Generalis Episcopi.

2. **R**esp. ad secundum, habere Vicarium Capituli fundatam intentionem in exercitio ordinariæ jurisdictionis eadem prorsus ratione sibi, quàm ipsi Episcopo competentis, ait Pignat. *rom. 10. consult. 121. nu. 1.* citans gl. *in c. Romana. de appellat. in 6. v. generaliter.* Covar. *qq. pract. c. 4. n. 87.* & var. *resol. l. 3. c. 20. nu. 4.* Sauch. *de matrim. l. 3. d. 29. qu. 1.* Sbroz. *l. 2. q. 55. n. 9.* ubi tamen aliud nihil, quàm quòd Vicarius Episcopi habeat jurisdictionem ordinariam, pro quo citat quamplurimos. Idem jam ante Pignatellum expresse tradidit Garc. *p. 5. c. 8. n. 22.* ubi postquam præmississet hæc formalia: Permittendum est, quòd Vicarius sicut Episcopus Ordinarius est: idque quamplurimis quoque citatis stabilivisset, subjungit: idem dicendum est in Vicario Capituli sede vacante. Et sanè in utroque Vicario, nempe Episcopi, & Capitulari eadem est ratio, sive dicatur cum Sbrozio, Sauch. Maranta, & pluribus aliis, quos refert Garcias *loc. cit. nu. 24.* Vicarium Episcopi ex eo esse ordinarium, quòd lex concedat illi jurisdictionem, interveniente factio, & ministerio (nempe assumptione, qua in Vicarium assumitur) Episcopi; sive dicatur cum ipso Garcia, Vicarium Episcopi accipere jurisdictionem ab Episcopo cum deputante, ut Abb. *in c. Romana. de appellat. in 6.* & Vestrius *in pr. l. 3. c. 3. n. 2.* ex eo tamen esse Ordinarium, quòd juris permissione ab Episcopo constituitur, ut eorum locum teneat, vicèsq; gerat jurisdictionem generaliter exercendo, & sic perinde sit, ac si à lege constitueretur. Eadem siquidem applicari possunt Vicario Capituli, etsi prius fortè minus congruenter ad dicta *quæst. ante hanc.* 4. cum Vicarius hic non accipiat jurisdictionem hanc à lege seu dispositione Tridentini ministerio Capituli eum deputantis, sed immediate ab ipso Capitulo, à quo constituitur, non solum ex juris (intellige Tridentini) permissione & consensu, sed etiam jussione, geratque vices Capituli, ejusque jurisdictionem, quæ utriusque ordinaria est, generaliter exerceat.

3. **R**esp. ad tertium: Videtur facere idem Consistorium, seu tribunal cum Capitulo. Si enim ille facit unum Consistorium, seu tribunal cum Episcopo, qui est in tribunali Episcopatus constitutus cum